



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

Concluditur secundùm S. Augustinum, in concursu opinionum
contrariarum non esse licitum, sequi minùs probabilem, relicta
probabiliore & tutiore, sive savente Legi Dei naturali & positivæ
sufficienter ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

Respondeo & dico : Secundum S. Augustinum, in concursu opinionum contrariarum, non est licitum sequi minus probabilem, relictâ probabiliore & tutiore, sive favente legi Dei naturali & positivæ sufficienter propositæ.

Probatum primò : Quia in primis taliter operans, juxta opinionem minus probabilem & stantem contra legem, non excusatur per ignorantiam invincibilem ; quia talis ignorantia Juris naturalis & positivi divini sufficienter promulgati non datur secundum S. Doctorem, ut constat ex §. præced. ergo &c.

Probatum secundò : Quia si ille, qui in concursu opinionis probabilis, & probabilioris atque tutioris eligit minus probabilem, non peccet, ideo est, quia cum agit quisque, quod ei videtur probabile, non peccat ; sed hoc est contra S. Augustinum, ergo &c. Major est doctrina Opinatorum sive Probabilistarum tam Recentiorum, quam Antiquorum, quorum, testante S. Augustino lib. 3. cont. Acad. c. 16. hoc fuit axioma : *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat.* Minor probatur ex dictis S. Augustini ibidem, sic enim discurret : *Id igitur audiens adolescens, id est memoratum axioma, insidiabitur pudicitie uxoris alienæ : Tete consulo M. Tulli, de adolescentium moribus, vitaque tractamus, cui educandæ atque instituendæ omnes illæ literæ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens ? At illi probabile est ----- adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam.*

alienam. Qui, deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, à quo defendatur: quanquam etiam, si inveniatur, quid diciturus es? Negabis profecto. Quid si tam clarum est, ut frustra inspicere? Persuadebis nimirum tanquam in Cumanò Gymnasio, atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imo etiam nec errasse quidem, non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit, probabile sibi occurrit, secutus est, fecit: --- iste autem maritus homo fatuus perturbat omnia litibus, pro uxoris castitate proclamans --- hoc illi iudices, si intellexerint, aut negligent Academicos, & tanquam crimen verissimum punient, aut eisdem obtemperantes verosimiliter hominem probabiliterque damnabunt, ut iam quid agat iste Patronus, prorsus ignoret. Cui enim succenseat, non habebit, cum omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes id, quod visum est probabile, fecerint. --- Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quae fieri aut cogitari possunt, flagitiis, aut facinoribus, quae paucis verbis, & quod est gravius apud sapientissimos iudices defenduntur. --- Quomodo enim non facerem, quod probabile visum est. Qui autem non putant ista probabiliter persuaderi posse, legant orationem Catilinae, qua Patria parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. --- Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si haec ratio probabilis erit, sum probabile cuiquam visum fuerit, esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.

Perpendenti diligenter hunc S. Patris discursum

sum

sum, & ex Antiquorum Opinatorum principiis deducta Corollaria, conferentique cum Confectariis à summis Pontificibus jam proscriptis, & aliis, quæ ex modernorum Opinatorum doctrina irreperunt in scholas Christianas, posset videri S. Pater fuisse vaticinatus, & prædixisse Recentiorum futuros abusus. Imo moderni quidam laxiores sunt istis antiquis, licet enim hi contra Philosophiam Christianam docuerint, nullam ulli auctoritati inesse vim movendi intellectum sapientis, & neminem posse ad latitantem veritatem & scientiam inquirendo pervenire, & hac de causa justam sibi conflaverint invidiam, non tamen docuerunt sistendum esse in minus probabili seu verosimili qualicumque, in occursu verisimilioris. Sed Veritatem sapienti suo, ut S. Augustinus ait lib. 3. cont. Academ. c. 1. Summo conatu inveniendam esse professi sunt, idque illum agere sedulo. Sed quoniam vel lateret obruta, vel confusa non emineret, ad agendam vitam id eum sequi, quod probabile ac verosimile ei occurreret. Huc quadrat exemplum Mercatoris, cujus meminit magnus ille Opinator Cicero de Offic. lib. 3. ubi sic discurret: Incidunt sæpè causæ, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ejus generis hæ sunt quæstiones: exempli gratia: Si Vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit, in Rhodiorum inopia & fame, summaque annonæ caritate: si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit,

viderit, dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus, sapientem & bonum virum fingimus: de eius deliberatione, consultatione querimus; qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, an turpe non sit. Subjungit Cicero duorum Philosophorum sententias, videlicet Diogenis Babylonii, & Antipatri, quorum ille sensit, mercatorem posse filere, & frumenta quam plurimo vendere, hic verò, debere eum id Rhodiis revelare, & uterque nixus fuit ratione probabili, at unus probabiliore. In hujusmodi causis, inquit, aliud Diogeni Babylonico videri solet, magno & gravi stoico: aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatri omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere: cetera sine insidiis agere; & quoniam vendat, velle quàm optime vendere. Advexi, exposui, vendo meum, non pluris, quam ceteri, fortassis etiam minoris, cum major est copia, cui sit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: quid agis? Tu, cum hominibus consulerere debeas, & servire humane societati, eaque lege natus sis, & ea habeas principia nature, quibus parere, & quæ semper sequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas sit: vicissim & aque communis utilitas tua sit, celabis homines, quid his adsit commoditatis, & copiae? Respondebit Diogenes fortassis sic: aliud est celare, aliud tacere. Neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura Deorum sit, quis sit finis bonorum, quæ sibi plus prodesse cognita, quam tritici utilitas. Sed non quidquid tibi

audire

audire utile est, idem mihi dicere necesse est. Imo verè, inquit ille, necesse est; si quidem meministi, esse inter homines conjunctam societatem. Memini, inquit ille, sed non ista talis societas est, ut nihil suum cuiusque sit; quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum. Concursum & conflictus hic est oppositarum opinionum, quarum una altera est probabilior & tutior; una stat pro lege & honestate, altera pro utilitate. Probabilista Diogenes asserit, licitum esse operari juxta faventem commodum, relicta tutiore, Antipater suadet oppositum, & hanc sententiam tanquam solam honestam & bono viro dignam esse tenendam & practicandam judicavit Cicero ibidem his verbis: Non igitur videtur Frumentarius ille Rhodius celare emptorem debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas, sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumentum tui causa velis eos, quorum interest id scire. Hoc autem celandi genus quale sit & cuius hominis quis non videt? Certè non aperti, non justis, non viri boni, sed versuti potius, obscuro, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot & alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?

Existimo, si in simili casu Mercator Christianus consuleret quosdam ex modernis Casuistis, mitius & sibi commodius accepturum responsum.

Probatur tertio. Secundum Probabilistarum principia, qui in concursu Opinionum contradictoriarum, sequitur minus probabilem, relicta probabiliore specificante actum pro illicito, sive pro præva-

prævaricatione legis, Dei, & adversante S. Scripturæ &c. prudenter operatur, sed huic doctrinæ adversatur doctrina S. Augustini; ergo secundum S. Augustinum non est licitum sequi opinionem minus probabilem, relictâ tutiore & probabiliore. Minor probatur ex Epist. 7. ad Marcell. in qua ait S. Doctor: *Si ratio contra divinarum scripturarum auctoritatem, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest, ergo.*

Probatur quartò: Quia secundum S. Augustinum in rebus ad salutem animæ spectantibus, non est licitum certis præponere incerta; sed qui eligit minus probabilem opinionem, quam ipse probabilius judicat esse contra legem naturalem & æternam Dei, præponit in rebus ad salutem animæ spectantibus incerta certis; ergo illicitè operatur. Major, quæ continet axioma Theologorum, à S. Augustino traditur in variis locis signanter Homil. 41. Ubi agens de rebus ad salutem animæ spectantibus dicit: *Tene certum, dimitte incertum.* Et juxta illam doctrinam volentibus baptizari, & dubitantibus, an in Ecclesia Catholica, aut apud Donatistas sit accipiendus Baptismus, suadet lib. 1. de Bapt. cont. Donat. c. 3. esse accipiendum tantum in Ecclesiâ Catholica: *Duo, inquit, dicimus, esse apud Donatistas Baptismus, non autem illic rectè accipi. Horum duorum illi unum magnoperè affirmant, id est, esse ibi Baptismus, non autem illic rectè accipi nolunt fateri. --- Esse in Ecclesia Catholica Baptismus, & rectè illic accipi, & apud Donatistas non rectè, nos tantum dicimus,*

imus,

timus, esse verò Baptismum, & apud Donatistas, & illi as-
 serunt, & nos concedimus. Quisquis ergo vult baptizari,
 & certus est, iam sibi nostram Ecclesiam ad Christiana-
 nam salutem esse eligendam, & in ea sola prodesse
 Baptismum Christi, etiamsi alibi acceptus fuerit, sed
 ideo in parte Donati vult baptizari, quia esse ibi Bap-
 tismum non illi soli, nec nos soli, sed utrique dicimus,
 attendat----- si enim nos eligit sequi in iis, quæ illi
 non dicunt. ---- Satis est nobis, quod ea præponat, quæ
 soli dicimus. Esse autem in Catholica Baptismum
 nos dicimus, illi non dicunt: rectè accipi in Catholica
 Baptismum nos dicimus, illi non dicunt: --- Hic ergo
SECURUS accipiat, ubi & esse & accipi **CERTUS**
 est. Illic autem non accipiat --- quanquam etiam, si
 dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in Ca-
 tholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret
IN REBUS AD SALUTEM ANIMÆ PERTI-
NENTIBUS, VEL EO SOLO, QUOD CERTA
INCERTIS PRÆPONERET. Et cap. 5. ait:
 Incertis certa præpone. ---- Accipere in parte Donati,
 si incertum est, esse peccatum: quis dubitet certum
 esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est,
 non esse peccatum? Quæ doctrina confirmatur adhuc
 ex lib. de morib. Eccl. c. 3. ubi ait: Oportet omnem
 hominem quod optimum est, sequi; id est accipiendo
 optimum Theologicè, prout opponitur alicui malo.
 Et que hæc Augustini regula, quod in dubio sit eligen-
 dum tutius à Jure Canonico canonizata C. ad audi-
 entiam C. significasti, C. Peticio. De homicidio. C.
 si quis positus, de poenit. Dist. 7. & C. si quis autem,
 E ibidem,

ibidem, de quibus fusius agit Prosper Fagnanus in C. Ne innitaris, de Confit. probatque solidè, non habere tantum vim consilii, sed præcepti, eò quod homo teneatur dubiam conscientiam deponere, & omnis in operando sequens minus probabilem relictâ tutiore habeat talem conscientiam, & ex opposita doctrina deducit plurima absurda.

Minor etiam probatur, quia ille, qui taliter operatur, amplectitur opinionem, quam ipse probabilius iudicat esse falsam, & legi contrariam, relictâ illâ, quam iudicat esse probabiliorem & remotam à periculo peccati: Ergo præponit incerta certis, & exponit se periculo peccandi; imò operatur contra proprium iudicium nolens intelligere, ut beneficiat; intellectus quippe tendit ad indivisibilem Veritatem veluti corpus grave ad centrum suum, & ad hanc inveniendam semper enititur, opinionibusque illi vicinioribus adhæret.

Probatur quinto. Secundum S. Augustinum lib. 22. de Civ. Dei. c. 23. *habent iusti in hac vita, præter mala bonis, malisque communia, etiam proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant, & vigiliis continuis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credant &c.* Sed si licitum esset, sequi opinionem minus verisimilem, relictâ verisimiliore & tutiore, nõ esset iustis necessarius continuus ille labor, & vigilantia &c. ne opinio verosimilis fallat, ne se tenebræ erroris offundant, ne quod bonum est ma-
lum,

lum, aut quod malum, bonum esse credant, eò quod sequentes opinionem probabilem semper prudenter operarentur : ergo &c.

Hæc sanctissimi Doctoris ac Patris nostri doctrina fundata est in sacra scriptura utriusque Testamenti, hæc enim mandat, ut impleamus Dei mandata ex toto corde, & ex tota anima, Deut. 26. Vt ante omnia opera verbum verax precedat. Eccli. 37. Ut intremus per portam angustam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7. Ut ab omni specie mala abstineamus. Ad Thessal. 5. &c. Hæc qui, ut decet, considerat, meritò continuis vigiliis excubat, ne opinio verosimilis fallat, ne decipiat sermo, ne se tenebræ erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum, bonum esse credat; Ut certa incertis præponat in rebus ad salutem animæ pertinentibus, neglectâ illâ Probabilistarum regulâ : Melior est conditio possidentis libertatem.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Confertur & opponitur doctrina S. Augustini quibusdam particularibus vage probabilitatis Consectariis, id est quadraginta quinque propositionibus à Pontificibus proscriptis, & Veritas præcedenti S. asserta confirmatur.

ET si S. præcedenti generaliter & sufficienter fuerit probatum, principia Probabilistarum, quibus persuadere conantur, licitum esse, sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore,